

Cæterum cùm hanc synopsin mihi tantùm pro memoriâ consignare animus initio fuerit, abstinere non potui à characteribus illis æstimatis penes Mathematicos hodie passim usitatis (+) plus (--) minus (≡ vel ≈) æquale (≈) oppositum (::) proportio, quibus compendiosè notamus, & quidem signo (+) simul sumptionem terminorum vel additionem h. e. posterioris cum priore conjunctionem & utriusque velut accumulationem in summam unam: signo (--) restrictionem prioris termini per subtractionem posterioris ab eodem: signo (= vel ≡) exæquationem vel æquivalentiam & correspondentiam terminorum, signo (≈) contrarietatem & oppositionem, signo (::) partem pro rata &c. Quæ cùm toties occurrant in Jure (occurrunt autem in plerisque titulis, et si non semper expressè ponantur) indicio sunt, non denominative tantùm res hic spectari, sed omnino etiam æstimative, h.e. ita ut, si certitudinem obtinere velis, more mathematico non tantum quid & quale quipiam sit, sed & quantum sit, attendatur. I. 6. ff. de Rebus creditis. Hinc est quod toties in jure queratur *quanti ea res sit?* *quanti minoris?* *quanta potestatu?* *quantum damnum datum?* &c. Quod ipsum Quantum, feliora quidem ingenia velut ex semet ipsis, naturâ tantùm duce, datis casibus etiam intricatissimis, accurate definiunt; quibus tamen non contingit esse naturâ tam felicibus, hi dum artem æstimandi generalem, succinctis regulis & exemplis jucundissimis in Mathesi traditam juris studio præmitunt, facile cum illis paria faciunt, idque, magno sumptuum & laboris compendio multò citius, quam longo rerum usu tantùm, assequuntur. Omnium autem expeditissimum est, si naturam ars initio statim excipiat, & artem usus insequatur. Unde quinam præcipuus in jure sit Matheœos usus, haut obscure datur intelligi.

Huc refer *Mnemoneuticum*
Titulorum.

F I N I S.